



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instrvctio Novitiorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniæ, Anno M.D.C.XIII

De fructibus Spiritus sancti, & beatitudinibus, Cap. 24.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48624)

De fructibus Spiritus sancti, & beatitudinibus. Cap. XXIII.

1. **C**lementissimus Deus, qui hominem, quoad omnes eius partes virtutum, & donorum habitibus perficit, ut expedite ad civitatem permanentem feratur; hoc etiam in exilio, fatigatum recreare ac strenue agentem ad perfectionem quandam futuræ beatitudini, quasi contiguam prouehere solet.

2. Ex ipsismet quippe virtutum & donorum habitibus viri rebus diuinis additi actus multos eliciunt humano cordi suauissimos, qui proinde fructus appellantur, similitudine fructuum naturalium, in quibus tota plantarum suauitas inest.

Sunt autem ij fructus duodecim: Charitas, gaudium, pax, patientia, bonitas, longanimitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Ad fructus autem rationem pertinet, ut in suo genere, quid vltimum sit, & sapore delectet: quod in fructibus enumeratis reperitur: & vno, promul-

multis, exemplo liquebit.

3. Charitas enim fructuum primus, nihil est aliud, quàm actus ipsius habitus charitatis, qui est amor, qui & vltimus, cum ad illum ordinetur habitus, & suauissimus, ex motione Spiritus sancti amoris gustum ingerentis est.

4. Idem ad proportionem de alijs fructibus recensitis asserendum: siue enim sit mansuetudo, siue castitas, siue alia virtus: tunc dicitur fructus spiritus sancti producere, cum ipso spiritu agente actum excellentem, ac delectabilem elicit.

5. Beatitudines verò, ultra delectationem, addunt perfectionem altiorem, ac exinde statui coelestis patriæ propinquiorem: ex quo, potius donis Spiritus sancti quàm virtutibus attribuuntur, cum in fructibus è contrario dicendum sit. Quia vero beatitudines, actus vltimi, & suaves sunt, quicquid nobilitatis fructus habent complectentes, omnis beatitudo fructus appellari potest: at non omnes fructus possunt appellari beatitudines. sunt autem octo numero: paupertas Spiritus, mititas, luctus,

luctus, esuries iustitia, misericordia, munditia, pax, persecutionis patientia: sed exemplum proferamus.

6 Dicit Christus: Beati pauperes Spiritu, quod ad humilitatis actum, vel Beati mites, quod ad mansuetudinis actum pertinet: quæ quidem appellatione, iuxta sententiam grauiſſimorum Patrum, quamdam in præſenti vita inchoatam felicitatem ſignificauit. Pertingunt enim viri ſeriuſ Ieſu Chriſto dediti ad quemdam humilitatis, & mansuetudinis gradum ad eò ſublimem, vt etiam regnum cœlorum, vna cum ſpiritus paupertate, & terram viuentium vnà cum mansuetudine poſſidere dicantur. Actus eximij, cœleſti ſuauiſſime conditi, & Chriſtiana perfectionis ſplendore conſpicui ſunt: quales ſancti producant, cum iam palmæ propinquant.

7 Inter beatitudines has diuina contemplatio. (quæ eſt actus intellectus in æterna ſpectacula directi, & admiratione ſuſpenſi, actus ſcilicet elicitus, ab excellentiſſimo inter alia omnia ſapientiæ dono), ſub cordis munditia reponitur: qui

qui quidem, est potior instituti nostri finis, constans purissima diuinitatis notitia, ineffabili delectationi permixta; ut merito veræ ac futuræ beatitudinis imaginem gerat. De qua tamen nihil modò dicendum: res enim iuniorum fratrum captum excedit, sed animum, ut eò tendat excitare deberet.

8. Disciplinæ quippe huius est, nosse, ineffabile bonum hoc, in hoc etiam exilio strenuis militibus indulgeri: ut animi ad prælia erigantur, & perennibus desiderijs ad suauissimam contemplationem aspirent.

9. Non videtur Iesus Christus Dominus noster omnes beatitudines, nec Apostolus, fructus Spiritus sancti omnes, sed nobiliores, ad quos cæteri reducuntur, recensere voluisse: ex quo multa scripturæ sacræ in alijs actibus beatitudines, vel Spiritus sancti fructus laudantis asserta patebunt.

10. Præter omnes virtutes, ac dona, beatitudines, ac fructus, Clementissimus Deus, ad bonum aliorum, solet multos etiam peccatores, gratijs gratis datis, ut prophetia, dono linguarū, gratia.

tia.

tia sanitarum instruere: sed hæc, cum aliorum bonum non propriam sanctitatem, cui nunc fratres nostri vacant, augere certum sit, in aliud tempus rejicienda sunt.

PARS TERTIA DE ORATIONIS STUDIO.

De Oratione. Cap. I.



Religio (quæ, & Theosebia, Eusebia, & Latria nominatur) omnium virtutum moralium nobilissima, multos & internos, & externos actus producit: interni actus sunt oratio, & deuotio, de quibus primum dicemus.

2 Est autem Religio virtus in voluntate existens, per quam debitus cultus, & reuerentia Deo exhibetur. Oratio vero eius virtutis actus, est eleuatio mentis in Deum: voluntas quippe, intellectum ad cultum Deo afferendum mouet.

3 Quan-